

3. — S. Hilarius ad ejus, quam cum Deo habemus, nobilissimam parentelam stipitem sese reflectit, dicens: « Propinquitatum omnium jus atque nomen, non jam conditione nascendi, sed de Ecclesie communi retinendum. » Imo Chrysostomus, *Hom. XLV in Matth.*, parentelam istam considerans, continere se nequit, quin exclamet: « O mirabilem humorem! O virtutis incredibiles vires! quo dicitis bene viventes homines? multo propinquiores Deo sunt, qui voluntatem ejus faciunt, quam qui summa carnis necessitudine conjunguntur. » Ipsam Virgo, Mater et Genitrix Christi tanto tamque stricto parentelae vinculo, Filio suo annexa, adstricta non fuit ex eo, quod illum genuerit, quam ex eo, quod super omnes animas creatas, supraque omnes spiritus Angelicos, cum voluntate Dei artissime et intime conjuncta fuerit. Unde S. Augustinus, *de S. Virg.*, scribit: « Mater ejus est, omnis anima pia, faciens voluntatem Patris ejus, foecundissima charitate in iis, quos parat, donec in eis ipse formetur. » Demum vero ad Mariam Matrem ejus descendens, subjungit, dicens: « Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo Mater est,

« spiritualiter autem et soror et Mater. » S. Justinus Martyr ait: « Non Matrem debito honore fraudat Dominus, sed docet, qua, ut ita dicam, maternitate virgo sit beatissima. Si enim is, qui verbum Dei audit et servat, Dei est et frater, et soror, et mater, quorum utrumque in ejus Matre inerat, « perspicuum est Matrem ipsius ex hac matris ratione beatam dici oportuisse. »

4. — S. Gregorius, *Hom. in Matth.*, quo modo ad strictissimum spiritualis cum Christo parentelae gradum pertinere valeamus, his verbis nos optime docet, dum ait: « Sciendum nobis est, quia qui Christi frater et soror est credendo, mater efficiatur praedicando, quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit et mater ejus efficiatur, si per ejus vocem, amor Domini in proximi mente generatur. »

5. — Valde etiam consideranda sunt verba illa: « Mater mei qui in caelis est; etenim S. Paschasii consideratio est, dicens: « Interea ne de Joseph dicere rursus calumniarentur, cum voluntatem Patris requirebat, addidit: *Qui in caelis est*, ut monstraretur luce clarius, seipsum de caelo venisse, quamvis filius hominis in carne videretur. »

FERIA QUINTA POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XV, VERS. 21

21. Egressus Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis.
 22. Et ecce mulier Chanaanæ, a finibus illis egressa, clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine Fili David; filia mea male a daemonio vexatur.
 23. Qui non respondit ei verbum; et accedentes ad eum discipuli ejus, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.
 24. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.
 25. At illa venit, et adoravit eum dicens: Domine adjuva me.
 26. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.
 27. At illa dixit: Eliam, Domine, nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.
 28. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

VERSUS 21.

Egressus Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis.

1. — Ex quo duæ hæc civitates gentium fuerunt, Christus autem Apostolis suis expresse prohibuit, *Matth.*, x, 5, dicens: « In vitam gentium ne abieritis, mox in exordio præsentis Evangelii, difficultas occurrit, quare ipsemet Dominus noster in hæc usque loca sese receperit? Ad quam Albertus Magnus, *in Matth.*, respondet: Dicendum, « quod

« ipse suo mandato non obligatur; » quisque enim legem aliquam condit, eadem semper superior existit: « Vel dicendum melius, quod non vadit « ut prædicet, vel maneat, quod supra prohibuit, « sed occasione præfigurandæ salutis gentium. » Idem quoque Doctor argute observat, quod dicatur in partes Tyri et Sidonis; « in partes, inquam, et « non in civitates, quia confinia tantum intravit. » Prohibitio igitur prædicationem Evangelii spectabat, de cætero enim, per ipsorum dominia pertransire,

sibi que exinde de sufficienti victus annona prospicere, minime prohibitum erat; imo ipsemet Christus Apostolos suos misit in Samariam, ut prandium sibi compararent. Porro S. Marcus, vii, 24, eandem in hoc Evangelio recensitam historiam refert, simulque cautelam et circumspeditionem insinuat, qua se Christus, huc veniens, a suorum oculis abscondit: *Ingressus domum, neminem voluit scire*, in illa namque regione, ne quidem videri voluit, cujus rationem S. Paschasius hisce verbis adducit: « Ne ullam « Judeis daret calumniandi occasionem. »

2. — Porro mysterium hujus exitus, quo Salvator in partes Tyri et Sidonis secessit, S. Thomas hisce verbis explicavit: « Quia a Judeis repellebatur, ideo ad gentes secessit, secundum illud, « *Ap.*, xiii, 46: *Vobis oportebat primum loqui, etc.* » Nimirum Hebræi ex iis, quæ Christus pro ipsorum emendatione dixerat, graviter Christo offensi erant, ac proinde se ejus prædicatione magis indignos reddiderunt; præterquam quod tempus illud jam præforibus erat quo regnum Dei ad gentilismum transferendum erat; atque ideo hæc loci mutatio, « Christus significavit, » inquit Jansenius, « quam « sitiret etiam gentium vocationem, pertusos infidelitatem Judaicam; » ac proinde non clam, sed palam et ipsis videntibus videri inter gentes voluit, ut Judæis ostenderet, quanto majorem salutaris disciplinæ et gratiarum suarum fructum gentiles ex Evangelio reportaturi essent. Lyranus id factum esse dicit: « Ut ex devotione gentium, ostendatur « justa reprobatio Judaorum. »

3. — Hugo Cardinalis, *in Matth.*, ex horum nominum *Tyris* et *Sidon*, accurata etymologia, sequentem deducit moralitatem: « Tyris tribulatio; Sidon « venatio mœroris interpretatur. Prædicator debet « egredi, ut Domino venetur peccatores. *Jerem.*, « *xvii, 16: Mittam venatores; et venabuntur vos; in « Tyro autem venatur Dominus, quia angustia est « saltus, ubi tristes, ubi capiuntur poenitentes. « Baruch.*, iii, 1: *Anima in angustiis et spiritus « unicus clamat ad te.* »

VERSUS 22.

Et ecce mulier Chanaanæ a finibus illis egressa, clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine, Fili David; filia mea male a daemonio vexatur.

Et ecce.

1. — Hoc verbum *Et ecce* admirationis est indicativum. Sic enim, quando S. Evangelista Lucas historiam Magdalenæ texere coepit, eandem hoc verbo exorsus est: *Et ecce mulier*; ubi S. Antonius de Padua, *in ser. v. Pasch.*, ait: « Nota, quod *Et ecce* est « adverbium admirationis; » heroica enim Chanaanæ hujus fides, cunctaque aliæ ipsius virtutes, ipsamet Dei Filium in admirationem et stuporem rapuerunt. Ipsa namque in cunctis seculis admi-

randa est in Ecclesia, orationis recte instituendæ magistra, quæ nos in corde ad faciendam veram et ferventem orationem præclarissime instruit, modumque nobis tradit faciendæ supplicationis Deo porrigendæ, ad impetrandas desideratas a Deo, nobisque necessaria gratias.

Mulier.

2. — Albertus Magnus, *in Matth.*, ait: « Sexus « fragilis, facile seducibilis, modo masculinum sibi « ingerens animum et ideo supra modum mirabilis. » *Ruth.*, iii, 11: *Scit omnis Israel, mulierem te esse virtutis.*

Chanaanæ.

3. — Chrysostomus, *Hom. lvi in Matth.*, hoc loco ponderat, quod populus Chanaan, olim jussu Dei ab Hebræis exterminati fuerint, quibus, in bona Chanaanæorum, et substantias, ac facultates eorum succedentibus, Deus insuper voluit, ne ullam cum iis communicationem haberent commerciorum, aut convictium, ne forte ab ipsis, utpote gentilibus, a divino ipsius cultu pervertentur aut abalienarentur; et ecce hodie iidem, olim maledicti Chanaei, in persona miseræ hujus mulieris, sese Christi pedibus advolvunt, ipsamque adorant, et tanquam verum Dei Filium agnoscent, dum interea Judæi eandem contemnunt et abiciunt, « Qui enim ejecti sunt, « ne Judæos pervertent, hi adeo ipsis Judæis me- « liores fuerunt, ut terminis suis relictis, ad Chris- « tum accederent, cum Judæi ad ipsos venientes « extruserunt. » Basilii Seleycus quoque, *Orat. xx*, dicit: « Chanaanæ mulier, sed animi probitate « genus refutabat, in qua naturam vicit fides. »

4. — S. Thomas in hæc Oratrice, multos egregios et heroicæ virtutum actus notat. Et primo quidem loco, in ipsa se prodit « Conversio petentis. *Eccli.*, « *xviii, 23: Ante orationem, prepara animam tuam. « et noli esse quasi homo, qui tentat Deum; prepara « rat animam, quando a vitulis se mundat; hoc « designatur, per hoc nomen Chanaanæ, quæ idem « est, quod mutata; item qui convertitur, debet « non solum vitare peccatum, sed etiam occasio- « nem peccati. » Secundo loco, devotionem ipsius notat, siquidem clamabat: « Clamor autem magnus « affectum designat. » Tertio, ejus pietatem, quia « alienam miseriam, suam reputabat; unde dicit: « *Miserere mei.* » Præterea humilitatem ejus obser- « vat quæ petit ex confidentia misericordiæ Dei. Quarto, observat, quam viva et generosa fides ipsius fuerit, quia ex quo S. Jacobus, i, 6, dicit: *Postulet, in fide nihil habens, ideo ipsa in primis Christi Divinitatem confessâ fuit, per dictionem illam Domine, Ps.* « *xcix, 3: Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus; deinde etiam professâ est ejus humanitatem, dum ei hoc epithetum, Fili David, attribuit. Rom.*, i, 3: *Qui factus est et ex semine David, secundum carnem.**

5. — S. Anselmus in magna hujus mulieris persona, tres insignes Ecclesie virtutes admiratur: « Sub persona hujus mulieris, fides, humilitas, patientia Ecclesie designatur; fides, qua creditur posse salvari filium; patientia, qua toties contenta in precibus perseverat; humilitas, qua se non canibus, sed catellis comparat. »

A finibus illis egressa.

6. — Enimvero prima facie, lectus S. Matthaei et S. Marci inter se nonnihil discepare videntur; siquidem hic, vii, 24, de Salvatore dicit: *Ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere; mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, et procidit ad pedes ejus.* Quod si ita est, qua igitur ratione salvari poterit, quod S. Matthaeus dicit: *A finibus illis egressa?* Tyrannus rationem reddit, cur mulier haec patria sua egressa fuerit: « Quia Christum sequetur in via ad impetrandam suae filiae sanilitatem; » etenim verisimile est, quod ad probandum hujus mulieris fidem et perseverantiam, illam Dominus nec audire, nec exaudire voluerit, unde ipsa Dominum per longum itineris tractum fortiter subsecuta fuit: « Quia eam ibi non exaudivit, secuta est eum in itinere, clamans. »

7. — « Egressa corpore et anima, » inquit Dionysius Carthusianus; et quidem quod corporaliter e domo sua egressa fuerit, nulli potest esse dubium; siquidem usque ad fines Tyri egressa est, sequens vestigia praesentis Salvatoris; quoad animam vero, pariter e Chanaan egressa fuit, « quoniam Chanaanorum incredulitatem ac impietatem deseruit, « credens in Christum; » et quidem quod vere secundum animam, ab incredulitate egressa fuerit, id ipsum S. Hieronymus arguit ex denominatione, qua Christum Filium David appellavit: « Inde novit vocare Filium David, quia egressa jam fuerat de finibus suis, ac errorem Tyriorum ac Sydoniorum luci ac fidei commutatione dimiserat. »

8. — Interlinearis ex illis verbis hanc nobis doctrinam salutarem proponit, quod scilicet a conversatione et societate illorum, qui superioribus diebus vel annis, nobis lapsi offensionis et petra scandalii fuerunt, sollicite nos elongare et recedere debeamus. « Egressa a pristina conversatione, » quod idem ex parte quoque a S. Antonio de Padua notatum fuit, dum ait: « Nota, quod oportet hanc mulierem, id est, animam non solum egredi a peccato, sed etiam a finibus peccati, frequenter enim dimittit diabolus usque ad confessionem peccatorum, sed tamen in confiniis peccatorum retineri nititur; » in cuius probationem, Pharaonis adducit exemplum, qui populo Israel licentiam quidem dabat, abeundi ad sacrificium Deo suo immolandum, cum hoc tamen pacto, ne a finibus

suis ullatenus sese elongarent, ac tandem Sanctus ita concludit: « Egressi de omni opportunitate peccandi, quod si non fecisti, non effugisti latroes inimici; sufficit enim, quod te liget per pedem affectionis, et tamen dimittit tibi guttur confessionis. »

9. — Ex quo hoc mulier typus quidam est animae cuiusdam orantis, merito a finibus Tyri et Sidonis egressa fuisse dicitur, cum enim in hisce locis, commerciorum tractentur strepitus, ideo per hunc secessum nos docet, quod ut anima aliqua mediante contemplatione in Deum elevetur, opus sit, ut sese ab omnibus terrenis affectionibus subducens, solitudinem secletur et quietem. *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus.* Ose., ii, 14.

10. — In hac, filiae suae salutem zelose procurante matre, notari quoque potest charitas provida, quam habere debent omnes illi, quibus cura incumbit animarum; hi enim, quotiescumque id subdolum necessitas requirit, e domibus suis egredi, omnesque vitae commoditates, quas inibi habent, deserere debent, ut suorum, tam spiritualibus quam corporalibus necessitatibus in propria persona, non vero per alios prospiciant: « Si opus sit pro ea, » inquit Salmeron, de anima sub allusione hujus filiae tractans, « liberanda a daemonio, et impetranda sanitate, ad Christum confugere, et ob hanc causam exire de finibus suis, quod praescriptis torpor atque tepiditas, ita ut relicti aulis Regum vel Pontificum, visitent Ecclesias suas, atque residant; » de Episcopis loquitur.

Clamavit.

11. — Enimvero tametsi mulier haec, utpote tot virtutibus praedita, probabiliter credi possit, fuisse modestissima, attamen ut Basilius Seleucus, Orat. xx, advertit: « Verecundiam omnem calamitas excutit. » Unde et Dionysius Carthusianus ait: « Ex vehementi affectu in verba erupit, et propter magnitudinem necessitatis suae, obliata est femineae verecundiae, clamans sine rubore; nam excessivus amor rationem non pensat. »

12. — Albertus Magnus clamorem hunc non de vocali, sed de mentali intelligendum esse credit: « Non tam alta voce oris, quam magna cordis devotione. Jer., xxxiii, 3: *Clama ad me, et ego exiviam te.* »

13. — Lucas Brugensis rationem, cur mulier haec tam elata voce clamaverit, hanc fuisse dicit, ut audiretur a Christo, siquidem nec discipulis, et multo minus Christo viciniam appropinquare audebat: « Non enim propius audebat accedere ad virum sanctum ut immunda, quales sciebat sui generis homines, a Judaeis omnibus haberi; clamor desiderii vehementiam declarabat. »

14. — Chrysostomus, Hom. xvi ex hoc, in Matth. locis, prudentiam et judicium hujus mulieris notat,

siquidem non ad intercessionem sive Jacobi, sive Joannis, sive Petri, sive totius Collegii Apostolici recurrit, sed obsequia sua Christo immediate detulit: « Pro omnibus illis, poenitentiam accepit communi, quod advocati locum implevit et sic ad summum fontem perrexit. »

Dicens ei: Misere mei.

15. — Hujusce mulieris charitas, tametsi cateroquin ipsa gentilis erat, ad ipsam ut ita dicam, S. Pauli Apostoli sanctitatem pertigisse videtur, utpote qui alienam miseriam eodem sensu doloris, ut propriam percipiebat. Unde, II Cor., xi, 29, dicebat: *Quis infirmatur et ego non infirmor?* « Magnus, » inquit Hugo Cardinalis, « quia malum filiae dicit esse sum et in hoc notatur compassio. » Etenim non obstante, quod non ipsa sed filia ejus, infirmitate et spiritu immundo aggravaretur, attamen dixit: *Misere mei.* Ubi, ut S. Thomas ait: « Notatur pietas, quia alienam miseriam suam cogitabat, unde dicit: *Misere mei.* » Ad instar Jobi, qui dicit: *Flebam super eo, qui afflictus erat;* « Filiae malum suum ducit, » inquit etiam Lucas Brugensis: « Ea est virtus charitatis. »

16. — Abulensis, Q. lxxv in Matth., hisce verbis, materni affectus teneritudinem colligit: « Dolor filiae, dolor est matris et mater suam reputat incommodam, quod filia patitur. » Ex hac mulieris istius compassione et sollicitudine, parentes suae curae desumant exemplum, inquit Lucas Brugensis: « nis, pro liberorum salute. »

Domine.

17. — S. Anselmus ait: « Magna fides Chanaan; nec hic notatur, credit Deum, ubi vocat Dominum; hominem, ubi Filium David nominat. »

18. — Albertus Magnus, hoc verbum ad alia sequentia relationem dicere existimat: *Domine in cuius ditione cuncta sunt posita, qui vitae et mortis habes potestatem.* Esther, xiii, 9. Quae eadem haec mulier dixisse non sine fructu videtur.

19. — Salmeron advertit, ipsam huic voci, Domine, praemisisse verbum illud *miserere*, siquidem misericordia sola, inter omnia divina attributa, Deo propissima est: « Cui proprium est misereri; sentit ipsum habere potestatem in daemones et ab eorum sententia posse curare, et vocando Dominum, testatur ejus Deitatem et potentiam. »

Fili David.

20. — Notandum, quod, postquam haec mulier Christum Deum confessa fuisset, in his verbis postea non solum naturam humanam confessa fuerit, verum etiam, ipsum vere in lege promissum Messiam esse fuerit contestata de quo postea Apostolus ad Rom., i, 3, scripsit: *Qui factus est ex semine David, secundum carnem.* Aliud quoque mys-

terium, cur eum Filium David appellavit, a Salmerone his verbis tangitur: « Vere Filium David, qui cythara pellebat daemones de Saule. » Hugo Cardinalis ait: « Confitetur eum esse promissum Messiam in lege, qui nasciturus erat ex David. » E contra vero Judaei, licet per tot Prophetarum oracula et sacras Scripturas, praedicationem quoque et miracula ipsiusmet Filii Dei, ipsis visibilibus, illuminati fuissent, nihilominus expresse contestati sunt, Joan., ix, 29, dicentes: *Hunc nescimus unde sit.* Quod si, undenam Dominus noster descendat, scire vultis o caeci Judaei, ecce vobis mulierem quamdam, et stirpe maledicta propagatam: *Maledictus Chanaan;* haec illum, tanquam Filium Dei, Dominum appellat, tanquam hominem vero, Filium David vocat et tanquam verum promissum Messiam humillime adorat, de qua proinde Basilius Seleucus, Orat. xx, ita scribit: « Mulier Chanaan, etiam ante curationem, fide data, ad Evangelistae dignitatem pervenit. »

21. — Albertus Magnus aliam quamdam expositionem adducit; existimat enim, mulierem hanc Dominum nostrum, per hoc epithetum *Fili David*, ad compassionem secum habendam extimulare voluisse, quia postquam illum Deum nominasset, hominem quoque appellat: « *Fili David* ex natura sciens compati; Heb., ii, 17: *Debit per omnia fratribus assimilari, ut misericors feret.* »

Et filia mea male a demonio vexatur.

22. — Admiranda profecto est hujus desolatae et filiae suae salutem anxie quaerentis mulieris indifferentia; utpote coram Christo, in oratione posita, se divina voluntati perfectissime conformatam esse ostendit, non enim ab eo postulat, ut domum suam sequeatur, vel ut daemones potentis jurisdictione sua in fugam agat, sed filiae suae miseriam pure et simpliciter ei exponit: *Revela Domine viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.* Psal. xxxv, 5. Ab hac muliere omnes novae Evangelicae legis fideles, merito orandi modum discere debent; ipsa namque suo non exemplo docet, quod sufficit, si vulnera nostra protomedico celesti revelemus et delegamus, siquidem longe melius nobis novit, an illa curare et omnino tollere, vere nobis expedit. Ideo Apostolo, I Cor., xii, 9, dixit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

23. — Glossa ait: « Filia est anima vel conscientia cuiuslibet diabolo mancipata, pro qua mater Ecclesia rogat. » Idem quoque hisce verbis Beda scribit: « Filia a demonio vexata, cuiuslibet est conscientia, sordibus vitiorum polluta, cuius emendationem a pio conditore debet continuis flagitare lamentis. » Hinc quoque utilissimum valdeque insigne desumitur, cunctis matribus et patribus documentum, quod, dum filii ipsorum infirmitatibus aliisque erumnis et adversitatibus

corripuntur, primo omnium loco, ipsi ad Deum confugiendum sit, pro imploranda iisdem integerrima animarum salute et bona conscientia, hanc sanitati corporali et cunctis mundi interesse seu emolumentis longe preferendo. Etenim si per demonem peccata, affectus inordinati aut vitia intelligantur, parentes se filios suos vere diligere, illorumque bonum ferventer zelare tunc vel maxime probabunt, si solliciti illos ab hisce demonibus liberare procurent. « Magnas demon peccatum est, » inquit Chrysostomus.

24. — S. Anselmus dicit: « Vulnera medico « delegit, et qualitatem et magnitudinem morbi « ostendit. » Etenim quanto major est nostra miseria, tanto magis ad se attrahit divinam misericordiam. David divinam pietatem implorans, subito sibi quoddam secure se exaudiendum esse promittit. Ps. xxv, 11: *Propitius peccato meo; sed quare? multum est enim; videbatur expedientius Davidem facturam fuisse, peccatum suum diminuendo, dicendoque parvum est enim; ast nequaquam ita est; sciebam enim, quod ubi abundat delictum, superabundat et gratia, accusandum est igitur peccatum et nequaquam excusandum, sed potius aggravandum; non sufficit huic mulieri, quod diceret: A demonio vexatur, sed subiungit: Male vexatur.*

25. — Rabanus ex his verbis sequentem deducit sensum moralem: « Si quis bona, quae gessit, peccatorum peste fedavit, filiam habet immundi « spiritus furis agitatum. »

26. — S. Marcus spiritum, qui hanc mulierem divexabat, immundum esse dicit. Unde Jansenius sequens elicit documentum. « Mulier haec recte « quamlibet animam peccatricem designat, cuius « filia, hoc est, caro a demonio vexatur, quia exagitat, etiam spiritu repugnante ad vitia varia. » Quodsi autem mater ista, huius suae filiae sanitatem desideret; id est, si carnem suam refranare cupiat, prius necessum est, ut e domus et patriae suae confinitibus exeat: « Hoc est priora suae conversationis « vitia, in quibus requievit, relinquat, tum ad « Christum fide accedat, qui unicus est salutis auctor. »

27. — Salmeron, ex verbis *Filius meus*, pastoribus ecclesiasticis, amorem erga animas sibi commissas, insinuandi occasionem sumit, dicens: « Instruuntur « pastores, animabus praefecti, qui instar parentum « sese filiis praestare debent, de quibus Apostolus, « Gal., iv, 29: *Filii mei quos iterum parturio, « generantes verbo Dei et lac doctrinae dantes.* »

VERSUS 23.

Qui non respondit ei verbum: Et accedentes discipuli ejus, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

Qui non respondit ei verbum.

1. — S. Thomas, in *Math.*, dicit: « Hoc videtur « mirabile, quod fons pietatis tacuit. » Chrysostomus quoque Salvatoris nostri, erga Judaeos caeteroquin ingratos et inimicos suos, ipsiisque blasphemantes, liberalitatem considerans, hanc ejusdem taciturnitatem vehementer obstupescit, *Hom. lxxv in Math.*, dicens: « Quam novum atque inauditum « hoc est, Judaeos ingratos rationibus etiam adducit, et blasphemantes rogat, et tentantes non « negligit; hanc autem quae sponte venit et deprecatur, quae, quanquam nulla lege, nullis Prophetae fuit communita, tamen cum reverentia accessit, nec responso, quidem digna putare videtur. » Universam ipse Judaeam perambulabat, quovis in loco suae imprimens beneficentiae vestigia: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, et hanc videns mala sua deplorantem repellit.* Porro variae assignari possunt silentii istius rationes.

2. — S. Thomas ait: « Non respondit, ne videtur ire contra id, quod dixerat: *In viam gentium ne abieritis.* » Volabat etenim ostendere, semetipsum executorem esse praecipii illius, quod Apostolis imposuerat: « sed per instantiam suam « impetravit, » haec mulier scilicet, « quod sit supra « legem; » tametsi enim legi subjectus non fuerit, quam ipse tulerat, se tamen illius observatorem exhibere voluit, quia, ut S. Hieronymus ait: « Nolebat occasionem calumniatoribus dare. »

3. — Euthymius, hunc supplicantis et clamantis Chananaeae contemptum, eo tendisse putat, ut Judaeis per hoc haud obscure ostenderet, se ad ipsos exaudiendos et juvandos longe promptiorem et propensorem esse: « Ut Judaeis ostenderet, qualem « erga illos gereret affectum; cum infirmos eorum, « semel tantum rogatus, imo neque semel quidem, « statim curabat, gentiliam vero non ita. »

4. — S. Anselmus, in *Math.*, dilationem hanc exauditionis, ex mysterio factam fuisse scribit: « Differt sanare, ut salutem gentium differendam « post resurrectionem praefigurat. »

5. — S. Thomas Christum ideo tacuisse censet, ut Apostolis occasionem et motivum suggereret, pro ea intercedendi, prout etiam fecerunt: « Quia « quantumcumque sit aliquis bonus, indiget tamen « orationibus aliorum. » Idem quoque his verbis Abulensis scribit: « Non respondet ut discipuli pro « ea rogaent, ostendens necessarias esse preces « sanctorum ad impetrandum. »

6. — Chrysostomus ait: « Non respondit, quia

« fidem illius amplius provocabat et animum per « severantiam exercebat. » Quod ipsum S. Augustinus quoque scribit, *Serm. lxxv de temp.*, dum ait: « Dissimulabatur a Christo, non ut misericordia « negaretur, sed ut desiderium accenderetur et ut « humilitas commendaretur. »

7. — Dicit etiam potest Christum ideo ei non respondisse verbum, quia mulier illa data nobis erat vere orationis exemplum, quae perseverantiam adjunctam habere debet. Unde Glossa optime monet: « Si ad primam petitionem Ecclesiae, Dominus « salutem animae differt dare, non est desperandum, vel ab oratione cessandum, sed magis precibus insistendum, et ad Deum, et ad Sanctos, « donec orent pro Ecclesia, et tunc perficietur « oratio. »

8. — Salmeron illud Christi silentium ponderans, illum Ecclesiastici, n. 1, textum adducit: *Fili accedens ad servitium Dei, sta in justitia et timore, et prepara animam tuam ad tentationem.* Haec erant primae vices, quibus mulier ista pedem suum scholae Christi intulerat, ac proinde eandem per hanc repalsam tentare et probare voluit: « Suavius enim « sapiunt dona, quae majori cum desiderio empta « et recepta sunt, et ideo ad tempus dimittit nos « in siccitate nostra. »

Et accedentes discipuli ejus, rogabant eum.

9. — « Quare accesserunt? » querit S. Thomas. « Una ratio est, quia nesciebant, quare tantum « retardabat. Secundo moti erant misericordia. « Item non poterant pati mulieris importunitatem. »

10. — In hac Apostolorum intercessione, Salvator noster efficaciam intercessionis Sanctorum insinuare voluit; tametsi enim hactenus aera implesset clamoribus suis, Christi tamen aures clausas semper et obturatas invenit; tametsi etiam domi, pedibus ejus advoluta fuisset, postea vero ad ipsum consecretandum prolixum cum eo iter confecisset, nihilominus, *non respondit ei verbum*; at vero vix Apostoli loqui coeperunt, cum ecce lingua ejus subito soluta fuit. Unde Basilus Seleucus, *Orat. xx*, ait: « Apostolorum chorus vicarius intercessor « apud Salvatorem intervenit, mulieris oratores « sunt Christi discipuli. »

Dimitte eam, quia clamat post nos.

11. — Theophylactus ait: « Discipuli gravitatem « ferentes clamorem mulieris, rogabant: *Dimitte « eam*, hoc est, obsecrabant ut ablegaret illam a « se; id quod tamen non ex compassionis defectu dixisse ait: « Sed magis videntur persuadere Domino ut misereretur ei. »

12. — *Clamat post nos*, dicebant Apostoli. Lucas Brugenensis legit: *Clamores ingemunt*; tanto enim spes ejus erga Salvatoris pietatem amplius augetur,

quanto majores, frequentiores et asperiores ejus repulse erant. « Notanda invidi mulieris « fiducia, » inquit praefatus Auctor, « silentio, quod « videri poterat quoddam repulse genus, minime « dejecta. »

13. — Paulus de Palatio collegii apostolici charitatem his verbis demirat: « Agnosce charitatis « ingenium, rogant enim non rogati, beneficium « praestant non petenti. Quam ergo a charitate « distant, qui negant improbis precibus petenti! « Causam vero afferunt, *quia clamat post nos.* Do-centes enim qui vult exaudiri, debere sensim « vitam apostolicam sequi. »

14. — Idem quoque Auctor ingeniosam valde observationem habet circa verba, *Dimitte eam*. Dicit enim: « Adverte, Dominus tenebat Chananaeam, « ligabat eam, nam discipuli dicant: *Dimitte eam, « quia clamat*; quomodo enim dimittet, quam « traxerat? Et ideo traxerat ut rogaret, et rogare « exacte. » Ad Romanos, viii, 26, Apostolus ita scribit: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis*; hic autem ipsemet Christus Dominus noster huic Chananaeae petendi et bonam quamdam gratulam orationem instituendi, formam et modum tradidit.

VERSUS 24.

Ipsae autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel.

1. — Glossa Interlinearis ait: « Missus corporali « missione. » S. Thomas dicit: « Hebraeorum erat « peculiaris; » ac proinde dicebant, *Psal. lxxxvii, 13: « Nos autem populus ejus et oves pascuae ejus; « perierunt istae oves, quia abductae erant per di-versas observantias. »* Et quamvis Isaia, *xlii, 69, oraculum, Messiae beneficentiam ad omnes omnino nationes extenderit, Deo dicente: Dedi te in lucem gentium*; dicendum tamen, « quod ad omnes missus, ut omnes in unum congregaret; sed missus « est primo ad Judaeos, ut eos ad gentes transferret. » S. Augustinus Glossae Interlinearis intentionem secundando, *Serm. lxxv de temp.*, ait: « Missus « ad oves domus Israel, ut illi praesentiam sui corporis exhiberet, non ut oves quas habebat in « gentibus contemneret. » Siquidem in S. Joannis Evangelio, *x, 16*, expresse ait: *Aliae oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere*; ac proinde prout S. Ambrosius, *Serm. xliii*, observat, hoc loquendi modo: « Ostendere dignatus « est propositum, quod oves, quos primo elegerat, « nequaquam refutare cupiebat et saepe devios et « errantes palerno quodam revocare cupiebat affectu. » Salmeron, per adhibitam distinctionem rem totam explanat. Dicit enim: Christus duplici potissimum fine in hunc mundum venit, scilicet

tum ad hominem redimendum, tum ad promulgandam legem Evangelicam; propter ambos vero hosce fines, pari quidem passu ab æterno Patre, tam pro gentilibus quam pro Judæis missus fuit. *Joan.* xi, 51, 52. *Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum;* at vero si de Evangelii predicatione ab ipso personaliter facta ac tot miraculis confirmata agatur, « Hæc principaliter in propria persona perfecit apud Judæos. »

2. — Rupertus Abbas ait: « Voces ejusmodi voces erant odii, non juxta rationem divinitatis, sed secundum sensum carnis, priori non consentientes proposito ejus, vel Scripturarum veritati; nam priusquam incarnaretur, amorem Ecclesiæ gentium professus erat in omnibus Prophetis. »

3. — S. Antonius de Padua, ad dictionem oves reflectens, dicit: « Quia non ad hædos, qui sunt in sinistra, finaliter collocandi, non ad lupos, quia volebat hanc escam in ovem converti, quod factum est. »

4. — Notandum quoque est hoc loco, quod Christus paulo ante de Judaismo dixerat: *Generatio prava et adultera*, nunc vero Judæos oves appellat; imo filiorum loco eosdem agnoscit, dum ait: *Panem filiorum*. Qua in re utilissimum nobis documentum tradidit, quod nimirum contumaces et discolos, in eorumdem presentia, ad ipsorum emendationem reprehendere debeamus; itidem vero absentes honorandi sint, de ipsis, ad proximorum edificationem, cum respectu honorifice loquendo, non ad ipsorum respicientiam, ut ab ipso facilis, correctionis fructum reportemus, eosque lucrur.

VERSUS 23.

At illa venit, et adoravit eum, dicens: Domine adjuva me.

1. — Quemadmodum hæc mulier Chananaea ante Salvatorem, post Apostolos, a longe sequebatur: *Clamat post nos*; ita post ea verba, quibus Christus eam repellere et abicere velle videbatur, sese ante conspectum ejus posuit, adorando eum et profundam ei reverentiam exhibendo. Lucas Brugensis ait: « Venit coram eo, adeo non est defatigata tot repulsis, ut etiam creverit fides ejus de Messie bonitate concepta, quæ animum ipsi ad dederit propius coramque accedendi. » Chrysostomus, *Hom. lxx in Matth.*, hanc eandem animositatem demiratus ait: « Non tacuit, aut destitit, aut alacritatem remisit nequaquam, sed magis instabat. » Quisnam animum suum non totaliter abjiceret? inquit idem Sanctus; eo ipso etenim, quo Christus tacuit, tantoque tempore ei non respondit verbum, sed clamores ejus importunissimos surdis auribus exceptit, jam gratiæ quam postulabat, confessionem desperare potuissent, quanto magis nunc,

quando ab eo responsum adeo asperum et durum retulit, maxime cum insuper omnium Apostolorum pro ipso factam intercessionem inutilem esse vidit. « Attamen non desperavit mulier, sed cum videret patronos suos nihil efficere, pulchra quadam verecundia inverecundata fuit, antea enim in conspectum venire non audebat; clamavit etiam, inquit, post nos; quando vero consentaneum erat, ut ipsa rebus desperatis longius abiret, tunc propius etiam accedit; quid hoc est mulier? num plus fiducia habes quam Apostoli? num plus virium? »

2. — Adoravit ut Deum, inquit Interlinearis, « adoratione patriæ, » inquit Lyranus; « speravit honoris et humilitatis officii, se posse benevolentiam ipsius, » ut Lucas Brugensis ait, « demereri. »

3. — Notanda quoque est vehementia charitatis et compassionis hujus matris erga filiam; quidem non una tantum vice, sed binis, infirmitatem filiae, veluti si propria et personalis ipsius esset, deploravit, nam ab initio dixit: *Miserere mei*, et nunc pariter dicit: *Adjuva me*, « infirmitatem enim filiae reputabat suam, » ut Lyranus meditatur.

VERSUS 26.

Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.

1. — Origenes miratur hic Christum miseram hanc mulierem, magis semper ac magis a se repellentem: « Latronem liberasti, meretricem virginibus prætulisti, et solam miseram hanc mulierem despicias deprecantem. » Chrysostomus, *Hom. xxxv in Matth.*, considerat quod, quanto ipsa amplius petendo effervescebat, tanto Salvator sese magis invitum ac reluctantem ei ostendebat: « Quanto illa ferventius orat, tanto ipse vehementius retrudit. » Verum enimvero evidentius signum habere non poterat, unde se certo exaudiendam esse agnosceret, quam dum probris ab ipso verbis propellebatur et quasi vapulabat: *Percontat et curabit nos*. *Os.* lvi, 2. Joseph scyphum seu calicem suum, sacco Benjamin fratris sui imponi jussit, *Gen.* xlv, ut ipsum in vincula conjiceret, eumque furti commissi apparenter saltem accusaret; revera tamen finis ipsius, id ita fieri jubentis, erat, ut suum erga ipsam affectum magis magisque exhiberet, eique præ cæteris fratribus vel maxime beneficeret. Unde S. Ambrosius ait: « Reum statuit rapinae, ut obsidem teneret gratiæ. » Eodem modo mulier, dum se veluti canem reputari et contemni vidit, majorem spem concipere cepit, se panis celestis gratiarum divinarum certo futuram participem. Et ideo Basilias Selencus in ipsius persona ait: « Contumeliam teneo curatio- nis pignus; spondet mihi salutem canis appella-

« tio. » Unde Paulus de Palatio sequens elicit morale documentum: « Interim id vehementissime nota, si probrum tibi Dominus injecerit grande, nec sine fine solvet; si autem te canem dixerit, rit, illic faciet; si induerit te sacco, circumdabit læticia. »

2. — Sciendum est vero Euthymium per hunc panem, salutem interpretari, non solum corporis, sed etiam animæ. « Panem dicit sanitatem, non corporum tantum, verum etiam animarum. » Hugo Cardinalis Salvatorem ad verbum Dei alluisse existimat: « Dominum verbum Dei panem vocat, quia sicut panis corpus, ita verbum Dei peccata sanat. » S. Marcus, xii, 27, refert Christum ita dixisse: *Sine prius saturari filios*, quasi ad illud dictum Actuum Apostolorum, xiii, 46, alludere voluisset, quo dicitur: « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. » S. Anselmus dicit: « Panis est Evangelium, miracula et alia, quæ ad salutem pertinent nostram; » et ideo hisce verbis dicere voluit non esse bonum Judaïsimum, qui filius ejus erat, predicatione Evangelii, miraculis, exemplis, cunctisque aliis privare, quamdiu hunc panem velut satum fastidiret, a se non proliceret, tunc enim se juxta habiturum esse causam, ut panis illius etiam canes, id est, gentiles, participes efficeret.

3. — Salmeron verba hæc de relictibus ecclesiasticis exponit, utpote qui panis filiorum, id est, pauperum dici possunt: « Intellegant, » Prælatos alloquitur; « bonum non esse sumere panem filiorum et mittere canibus, id est, redditus ecclesiasticos et patrimonium Crucifixi, quod ad alendos pauperes et sublevandos infirmos, orphanos et viduas, et virgines fovendas institutum est, ad ditandos consanguineos et servos suos exaltando convertant; vel illis abutantur, alendo canes, parasitos, meretrices; vel, quod quibusdam honestius videtur, bona Ecclesiæ in splendore mensæ, eorumque et servorum multitudinem, aut leis pretiosis atque in vasis aureis et argenteis comparandis, cum magno scandalo insumant. »

4. — Porro Judæi vocantur filii, de quibus Deus apud Isaiam, i, 2, ita loquitur: *Filios emultrici et exultavi*; et alibi, xlvii, 8: *Et nunc, Domine, Pater noster es tu.*

5. — Gentiles autem nominantur canes; « quia sicut canis est animal immundum, » inquit S. Thomas, « sic gentes. » Lucas Brugensis ait: « Quorum erat publica imprudensque cum idolis fornicatio, qui Judæis comparati, non magis Deo cure esse videbantur, quam sint patrifamilias canes, liberis collati. Vult igitur in Dei familia Israëlitas esse id quod sunt in hominis familia liberi; gentiles vero quod in hominis familia sunt, canes; » in his autem ingratis filiis adimpletum fuit celeste oraculum, quo, *Psal.* cxxxviii,

12, dicitur: *Sicut lumen ejus, sic et tenebræ ejus, siquidem filii facti sunt canes.* Unde Chrysostomus ait: « Hæc autem ad opprobrium videbantur Judæorum, qui filii vocati canes effecti sunt, dicente Paulo ad Philipp., iii, 2: *Videte canes, videte malos operarios.* » Eadem quoque fuit S. Hieronymi ponderatio, quam hisce verbis nobis explicavit: « Mira rerum conversio; Israel quondam filius, nos canes; pro diversitate fidei, ordo nominum commutatur. De illis postea dicitur: *Circumdederunt me canes multi*; nos audivimus cum muliere: *Fides tua te salvam fecit.* »

VERSUS 27.

At illa dixit: Etiam, Domine; nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

1. — In fatali hac responsione egregium hujus mulieris relucet ingenium, sagacitas et sapientia mirabilis: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus*, quibus verbis asperimam ipsam quam alias unquam contumelia mactare videbatur, siquidem hisce verbis omnino illi intentum suum consequendi spem præcidisse videbatur. « Hoc responso, » inquit Lucas Brugensis, « reliquis repulsis durior, spem omnium Christum mulieri præcidere videtur; » ut S. Hieronymus, in *Matth.*, advertit, « Illa valde sapienter et magno intellectu respondet; » ecce sagacitatem ipsius. S. Paschasius hanc, circa ejus responsum, habet reflexionem: « Opprobrium sibi illatum, veritè efficitur in supplicationis sue blandimentum. » Unde Lucas Brugensis insuper ipsum Christum in verbis cepisse, illudque extorsisse scribit, quod in ejus contumeliam a Christo prolatum videbatur, in favorem suum ingeniose retorquendo: « Insuperabilis itaque animi hujus mulieris magnitudo, id quod videbatur omnino repulsa, veritè in argumentum impetrandi, tanquam capiens ipsam Dei sapientiam laqueo sui oris verborum. » Dionysius Carthusianus notat quod sicut Christus ad ipsam metaphorice loquebatur, ita quoque eandem metaphoram proseguendo, causam suam prorogaverit: « Subtiliter et valde pertinenter respondet; » imo mulier hæc, per os S. Chrysostomi hunc in modum Christum alloquitur: « O Domine, factus es advocatus meæ postulationis, negando promittis. »

2. — Salmeron, *tom. vi, tract. xlii*, sensum horum verborum mirifice hunc in modum explicat: « Gaudeo quod me canem facis, non recuso nomen canis, nec Judæis invidendo panem filiorum et nomen honorificum Judæorum, quoque etiam meos voco dominos, non præcipio illis panem suum delicatum, quo rescuntur in mensa Patris. » Ipsa fortiter et generose verbis Christi insistebat et quasi cum ambitione et interesse nomen hoc canis

admittebat, hoc enim supposito, veluti ex iustitia et jure, saltem micam aliquam panis ab eo extorquere satagebat. Unde Chrysostomus citat dicentem : « Canem me dicis, ergo nutri me ut canem; non possum relinquere mensam Domini mei, in verberibus non cedo. » Victor Antiochenus in hujus mulieris persona, ita loquitur : « Magni beneficii loco duco, vel in canum ordine haberi, tantæ enim sunt mense Domini opes, ut abunde mihi sat sit, si iustorum tuorum micis frui liceat. »

3. — Argumentum hoc mulieris istius optime currit, nec quidquam ipsi in contrarium opponi potest. S. Anselmus inquit ipsam per illa verba : *Etiam Domine*, dicere voluisse : « Verum est, Domine, non est bonum ut dones nobis panem; nam nobis sufficienter micæ, et hoc est, nam et catelli non edunt panem, sed micas, id est, reliquias dominorum; domini nostri sunt Judæi, qui sedent ad mensam Scripturarum, nos non sumus digni sedere ad mensam, quia canes sumus, sed sub eis existentes, saltem aliquas reliquias vellemus habere, sicut est curatio filie mee; » ex lauta quadam mensa, semper projicitur aliquid, quod non comeditur ut flocci aestimatur. Et ideo dicere voluit quod, tametsi ipsa indigna esset illo miraculo, patebat nihilominus ex quo Christus adeo esset prodigus gratiarum suarum, quoad Judæos, vel unicam duntaxat panis illius micam, id est, unicam tantum, in sui commodum patratum miraculum, a se maximi beneficii et muneris loco aestimandum fore. Unde Theophylactus ait : « Quod parvum quidem, quantum ad virtutem suam attinet, mihi autem magnum fuerit; da sicut et qui panem comedunt, non magni faciunt, si micas dent, canes autem bene ex his pascuntur. »

4. — Monstrat etiam in hisce verbis, dum micarum panis, quæ ex mensa cadere sinuntur, mentionem facit, eximiam suam prudentiam; siquidem per hanc allusionem Salvatori insinuare intendebat, quod, cum in beneficium Judæorum, innumera miracula operetur, parum ipsi curandum sit, si ad suam, licet gentilis mulieris instantiam, etiam vel unicam solum patrare dignaretur. Albertus Magnus super illa verba de micis, ita scribit : « Non peto modo salutem communem gentis mee, sed unius miserere filie; » catelli de fereulis dominorum suorum mensis illatis non comedunt, sed tantum de reliquiis, quæ ex eorundem mensa cadunt. Salmeron aliam quandam canum proprietatem his verbis prosequitur : « Canes ejeti per unam portam, regrediuntur per aliam; rejecti sunt gentiles per portam idololatricæ, ingrediuntur per portam fidei; non ergo panem integrum dandum filiis, sed micam, id est, parum quid, maxime, quia filii negligunt; » adducitque similitudinem alioquin, quia cum ingentem quandam

pecunie summam, certæ cuidam personæ dare destinavit, si eam manu sua tenendo, modica quandam monetala manu ipsius excideret, eamque pauper aliquis gradiens in suam commodum leveret, hoc ei utique minime futurum esset ingratum : « Ita Dominus Jesus manum plenam habebat misericordiarum, interim cadebat aliqua mica, quam accipiebat aliquis ex gentilibus. »

5. — Porro in hac muliere adimpletum fuit illud Ecclesiastici, in, 20, effatum : *Humilitate te in omnibus et coram Deo invenies gratiam*, siquidem ejus humilitas in hisce verbis mire resplendit. Hic tangitur mira humilitas mulieris. Christus illam et omnes gentes canes appellavit, « sed humilitatis est quod concedit contumeliam; item major ostenditur humilitas, quia ipse Dominus dixerat canes; sed ista dixit catellos, » inquit S. Thomas. Christus Judæis nomen filiorum imposuerat, ipsa autem eosdem dominos vocat : *De mensa dominorum suorum*. S. Antonius Paduanus causam declarat, cur nomen canis non acceptarit, sed dixerit : *Nam et catelli* : « Hoc nomen noluit sibi arrogare, quia canis habet aliquid industrie, quia cognoscit dominum ipsum; » ipsa autem, tametsi adeo sagax esset et industria, ipsamque Dei Filium et Dominum suum esse probissime agnosceret, ex motivo tamen humilitatis, talis unquam videri voluit : « Item domum custodit; et furis ingressum aret : hæc non sic de se dicit, quia nec domum scientiæ custodire se, fateri voluit, nec latratum confessionis habere, quo hostis depellitur; sed se nominavit catellum, qui indifferenter cum omnibus latit, quia omni vitio adhaerebat, quia Dominum non cognoscit, qui indifferenter contra quemlibet latrat. »

6. — S. Ambrosius dicit, ipsam hæc verba, per superiorem quandam majoris luminis instinctum, de pane Eucharistico intellexisse : « Agnovit mysterium cui dicitur : *Nemo tollit panem filiorum et mittit canibus*; agnovit hunc panem, non panem esse qui videtur, sed illum qui intelligitur et ideo respondet : *Utique Domino, nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. » De hoc pane, in prosa sive sequentia Missæ Corporis Christi, dicitur : « Vere panis filiorum, non mittendus canibus. » Quænam vero est inter canes et catellos lactantes differentia? Hi ob teneram suam etatam innocentes representant; his igitur panis iste communicatur, non vero canibus, qui rabidi, iracundi, voraces, sanguinolenti, rapaces existunt; catelli symbolum sunt humilium et pauperum : « Manducat Dominum pauper, servus et humilis. » De micis panis istius cum S. Ambrosio dicere possumus : « O uberes micæ, quæ repellitis jejuniis sempiternum, quæ colliguntur tem pauperem æternis expletis alimentis! »

7. — Valde considerabiles sunt multi heroica-

rum virtutum actus, in quibus magna hæc mulier sese exercuit. Etenim ingentem se conceptum habere ostendit, de Christi omnipotentia et liberalissima manu, in patrandis miraculis; siquidem, ut Janesinus notavit : « Hoc miraculum, micam vocat. » Et ut Lucas Brugensis ait : « Micam, sanationem suæ filie dicit; ut quæ sic conferretur cum illa miraculorum copia, illis quæ gratiæ divitiis, quas in Judæos per singula momenta profundebat, nihil aliud censenda esset, quam « una mica panis, e divite mensa elapsa. » Enimvero dubium non est, quia Salvator noster jam dudum petitioni ejus tandem annuere decreverit, quare igitur eam prius, per tot repulsas, a se abegit? Chrysostomus, *Hom. xxxv in Matth.*, ait hoc factum esse : « Non quia negligebat, verum ut repositum atque absconditum in animo ejus virtutis thesaurum in lucem protraheret, eam repellat. » Et quidem de ejus fide nemini dubium esse potest, cum ob illam tanloperie fuerit a Christo deprecata. Modestiam suam palam ostendit, dum Christo solum, suam ob filie malum acceptam afflictionem manifestavit, absque eo, quod ab ea liberari postularet. Devotionis specimen dedit, quando ad pedes Salvatoris provoluta et prostrata, eundem devotissime adoravit. Resignationem quoque protulit, dum aliud nihil dixit quam *Adjuva me*. Fidei actum elicit, quando, licet pagana et idololatra esset, ad Deum tamen fiducialissime recurrit. Fervor ejus in oratione emicuit, quando voce elata clamavit. Caritas, dum alienam miseriam velat propriam sensit; perseverantia, quando post tot repulsas, memorialia et supplicationes suas tam frequenter reiteravit, denique humilitas in ea eluxit, dum se canis inferiorem esse agnovit.

VERSUS 28.

Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis; et sanata est filia ejus ex illa hora.

Tunc respondens, ait illi : O mulier, magna est fides tua.

1. — Cajetanus ait : Putasset debuisset dici : magna est constantia, perseverans; præterquam enim, quod ipsa frequenter passa fuerit repulsas, ipsi quoque sancti Apostoli nec auditii, nec exauditii fuerunt, imo velut canis repulsa fuerat et ideo videri potuisset, potius commendandam fuisse ipsius constantiam atque perseverantiam : « Sed Jesus, qui intuetur cor, fidem commendat magnam, quia fides in ipsum Jesum, sua magnitudine superavit negatas responiones, repulsas et ignominias. »

2. — Hæc mulier Chananæa, ut Theophylactus observat, Ecclesiæ typus fuit, quæ ex gentilibus

congreganda erat; hi etenim a principio fere rejecit. Hebræis duntaxat admisit; hisce vero deum reprobat, nos in illorum locum subingressi, panem nobis sacratissimi corporis Christi acquisivimus : « In filiorum ordine gentes allectæ, obtinuerunt panem Corporis Domini; Judæi autem canes facti, ex micis videntur pasci, hoc est, ex parvitate et vilitate litteræ. » De hujus Ecclesiæ, ex gentilibus collecta fide dici posse videtur : *Magna est fides tua*; siquidem inter tot persecutiones Tyrannorum, hæreticorum contradictiones, Atheistarum, Paganorum, Mahumetanorum, totque aliorum inimicorum blasphemias, fortis et imperturbata stabilitas permansit; præterquam quod, ut Rabanus observat, « merito magna dicitur, quia cum gentes nec lege fuerint imbutæ, nec vocibus prophetarum instructæ, ad prædicationem mox Apostolorum, in auditu auris obdormerunt. »

3. — S. Anselmus, *in Matth.*, dicit : « Magna prædicatur a Domino fides mulieris, quæ primum Salvatorem Filium David, deinde Dominum vocat, extremum ut Deum adoravit. » Janesinus ait : « Magna, quia per eam magna de me credis et confidis. » Inter mulieres non paucas, prout experientia constat, hoc vitio laborant, quod in necessitatibus suis ad superstitiones et demonum præstigia confugiant; ecce tibi vero Chananæa nostra illibatam fidem, quæ ut idem Janesinus ait : « Creditur, omni demoniaca virtute illum esse superaddit; neque oratione illi et præcibus opus esse putavit, reliquorum more, ut filium sanaret, sed potestate illum hoc efficere posse, idque etiam absentem; » neque enim ab illo petit, ut ad illum curandam, in domum suam se reciperet, sed potius illum etiam de longinquo, solo voluntatis suæ actu, dummodo ita vellet, demonem in fugam agere posse credidit.

4. — Basilus Seleucius, *Orat. xx*, magnam ipsius fidem, ex multis argumentis deducit; dicit ergo : « Nisi talis fuisset mulier, forte inhumanitatis et impotentia Salvatorem condemnans, avolasset; » quasi diceret : multæ aliæ mulieres, quæ tanta fide imbutæ non fuissent, scientes, illum in quovis alio loco innumeras præstitisse gratias, his autem illum adeo parum et ad illas præstandas invitum esse videntes, facile omnipotentiam et beneficentiam illius limitatam esse, suspicari, vel ipsum tanquam immittem et immisericordem, condemnare potuissent; imo fides ipsius cœsus processit, ut idem Auctor scribit; ut Dominus noster eam toti mundo, velut fidei normam et exemplar, proponere decreverit : « Ideo tibi gratificari distuli, ut fidem tuam in exemplum proponerem; totam tibi curatorem a mensam explici, non ut cani micam, sed ut filie totum panem largior. »

5. — S. Augustinus acute notat quod, ex quo canis nomen sibi libenter arrogavit, dicendo : *Etiam*

Domine, nam et catelli edunt, etc., ideo Christus illam mulierem et consequenter hominem appellavit: « O mulier; tu te cognovisti canem, ego te « jam agnosco hominem; » id ipsum magnæ fidei suæ meritum fuit; utpote sine qua bestii similes sumus, *Psal. XLVIII, 13: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* Fides autem in filios Dei nos adoptat: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus. Joan., 1, 12.*

6. — Dionysius Carthusianus fidem hujuscæ mulieris, omnium aliarum virtutum thesauris locupletatam fuisse dicit: « Bonis operibus virtutibusque « adornata. » Salmeron illum S. Marci, VII, 29, textum: *Propter hunc sermonem vade, exiit demonium a filia tua, considerans dicit:* « Id est, per « fidem et prudentiam et humilitatem. Laudat autem, ut imitemur virtutes ejus; apparet prudentia in responsis, pietas in querendo Deum et « non maleficos; perseverantia in repulsis, humilitas in prostratione et confessione; fides, quæ cæteræ virtutes ornantur. »

7. — Fides quoque ejus magna dici potest, siquidem omnes Apostoli ipsa posteriores remanserunt, utpote qui suam intercessionem interponentes, minime fuere exauditi. Unde Chrysostomus, *Hom. LIII in Matth.,* cujus hæc est ponderatio, ait: « Tu vero « diligenter considera, cum nihil ab Apostolis in re « mulieris factum fuerit, totum ab ipsa fuisse perfectum; tantum quippe potest jugis et fervens « oratio. De hac quoque ferventi oratione Chrysostomus ita scribit: « Non cessat fideliter, humiliter, prudenter, ac patientissime postulare. »

Fiat tibi, sicut vis.

8. — Optime et perspicue videtur, quam sit verum illud Psalmistæ, *Ps. cxv, 19: Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet.* Ac si diceret, inquit Chrysostomus: « Fides quidem « tua majora quam petis posset impetrare; verum rursus fiat ut vis. Hæc vox illi affinis est, quæ dictum est: *factum est cælum, et factum est cælum.* » Albertus Magnus Christum, nullum miraculo aut gra-

tiam postulata finem præstitisse, ponderat: « Non potuit metam, quæ in fide terminum non habuit. » Idem Chrysostomus alibi, *Hom. XVII ex variis in Matth.,* ita scribit: « Non dixit, sanetur filia tua, sed « fiat, sicut vis; tu, inquit, eam cura, esto medicus, « voluntas tua curet eam. » Unde hæc mulier cum sancto David, *Psal. xciii, 9,* dicere potuit: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animum meum.*

9. — Observandum est, quod Christus hoc, quod est pellicere demonem et peccatum ab anima, ad hos ipsos remittat, siquidem sufficit ad hoc ex parte nostra, resoluta quadam voluntas; opus enim tantum est, ut nos velimus et veræ contritionis actus excitemus; siquidem voluntas nostra divinæ gratiæ, quæ nobis non deerit, conjuncta, totum infernum prosternet, demonemque in fugam adigit.

10. — Dionysius Carthusianus ait: « Quo Christus videbatur huic mulieri asperior foris, et in « verbis, et in gestibus, eo fuit et benignior intus, « per operationem occultam, per inspirationem et « illustrationem internam; » id quod ex hoc argumento convincit; quia, cum hæc mulier gentilis et consequenter idolorum cultui assuefacta, omnique Dei nolitia desolata fuerit: « Quomodo tantam « fidem, humilitatem, patientiam atque prudentiam habuisset? »

11. — Jansenius inde hanc elicit moralem doctrinam, nimirum nobis non esse despondendum animo, dum videmus, quod in necessitatibus non subito exaudiamur: « Docemur in Christo, cum « quanto nostro profectu et utilitate, differat orationes nostras exaudire, nimirum ut magis in « nobis accendatur desiderii et devotionis fervor, « atque eo magis inflammemur ad precandum. »

Et sanata est filia ejus ex illa hora.

12. — Glossa ex hac historia colligit, curandum nobis esse, ut catechizentur et baptizentur infantes: « Qui nec sapere, nec facere aliquid possunt, sed « per fidem et confessionem parentum, liberantur « a diabolo. »

FERIA SEXTA POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. V, VERS. 1

1. Erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam.
2. Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.
3. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.
4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua, et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, a quacumque detinebatur infirmitate.
5. Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate sua.
6. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei:
7. Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.
8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum et ambula.
9. Et statim sanus factus est homo iste, et sustulit grabatum suum, et ambulavit, erat autem sabbatum in die illo.
10. Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.
11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum et ambula.
12. Interrogaverunt ergo eum: Quis est iste homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum et ambula?
13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset: Jesus autem declinavit a turba, constituta in loco.
14. Postea invenit eum Jesus in templo et dixit ei: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

VERSUS 2.

Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.

Probatica piscina.

1. — In hac piscina, victimæ in templo offerendæ abluebantur: « Eo quod oves illic ad sacrificium congregabantur, » inquit Theophylactus, « et « intestina earum abluebantur. » Albertus Magnus id verum esse dicit, de omnibus aliis carnibus offerendis et de Sacerdotibus, qui pariter ibi sese lavare consueverant: « Ab ablutione Sacerdotum et hostiarum. » Notandum est autem, quod liberalissimus remunerator Deus, hisce aquis, divino suo cultui inservientibus, infirmos sanandi virtutem infuderit; ut per hoc nobis indicaret, quod per easdem res, quibus ipsi obsequium et servitium exhibemus,

Deus quoque nobis, eodem tempore simul beneficiere soleat.

2. — Glossa per hanc piscinam, populum intelligit Judaicum, qui instar aquæ nunc quietus erat, mox a tentationum ventis agitabatur, unde Deo dicebat, *Psal. LXXVIII, 15: Nos populus tuus et oves pascuæ tuæ;* idem quoque S. Bonaventuræ sensus fuit, dicentis: « Quinque porticus significabant « quinque libros Moysis, quibus illi claudiebantur, » illi enim predebant languidos, non sanabatur.

3. — S. Thomas piscinam hanc, baptismi figuram esse dicit: « Quia sicut aqua illa per hoc, quod « lavabat corpora, habebat virtutem, ex Angelo, « sanandi infirmitates, non ex propria natura; ita « aqua baptismi habet virtutem sanandi et abluendi « animam a peccatis. »

4. — Est etiam figura penitentiae, ut scribit S. Bonaventura et S. Thomas de Villanova: « Hæc « illa piscina salubris, in qua quicumque ægrotus